

1981-0-12 – SS Ioannes Paulus II – Littera ‘Quae Sacra’**IOANNES PAULUS PP. II****LITTERAE APOSTOLICAE*****QUAE SACRA***

CATHEDRALE TEMPLUM DIOECESIS VESTANAЕ BEATISSIMAE
VIRGINI MARIAE CAELO RECEPTAE SACRUM TOLLITUR
AD BASILICAE MINORIS GRADUM HONOREMQUE

Ad perpetuam rei memoriam. – Quae sacra sedes praeclaro sub titulo Beatissimae Virginis Mariae caelo receptae exstat sublimis atque eminent media ipsa in urbe Vestana, longo iam saeculorum decursu non solum praesidia certa fidelibus porrexit ac refugia a fidei saepius hostibus verum praesentia etiam usque ad tempora tam solacium praebet marialis pietatis, quae continenter ibidem studioseque exercetur, quam sese ipsa praestat veluti totius illic vitae actionisque catholicae fontem et caput. Cum autem redintegratum nuperrime aedificium novo quodam renideret splendore simulacrumque ideo Virginis Merinensis «a Puritate» nuncupatae vel magis intus resplendet, Venerabilis Frater Valentinus Vailati, Archiepiscopus Sipontinus ipseque Administrator perpetuus Vestanus, suas libenter fecit Capituli cathedralis omnisque communis Vestanae preces petivitque ab hac Apostolica Sede ut eadem historia et arte insignis sedes rite proveheretur ad Basilicae Minoris dignitatem. Nos itaque vicissim, plane confisi futurum esse ut auctus cathedralis illius templi honor simul permovedat Christifideles Vestanos acriorem ad sensum usumque constantiorem propriae fidei simul promoveat florentem iam cultum erga Sanctissimam Dei Genetricem, obsecundamus exhibitiae rogations atque e Sacrae Congregationis pro Sacramentis et Cultu Divino sententia deque apostolicae potestatis Nostrae plenitudine constituimus harum litterarum virtute ut aedes sacra quam memoravimus Deo sacratam in honorem Beatae Mariae Virginis caelo receptae in dioecesi urbeque Vestana ad titulum ac dignitatem Basilicae Minoris tollatur, adiectis una iuribus et privilegiis universis quae templis hoc nomine decoratis iure convenientiunt. Praecipimus insuper ut ea accurate serventur quae secundum Decretum «De titulo Basilicae Minoris» quod die VI mensis Iunii anno MCMLXVIII prodiit sunt omnino servanda. Contrariis quibusvis haudquaquam obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die XII mensis Februarii anno MCMLXXXI, Pontificatus Nostri tertio.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*